

1383

CODICES

1384

Mox vero circa *Halas Sax.* illum fidem iis, quae de *Sagis* ferebantur, negans canit:

Ode vf einem buspese
Nach salze ze halle fore
Ob des al div werlt swere
Doch wolde ich sin nimmer geie-
ben

Ich en bet ez mit minen ougen
geseben
Wand so wrde vns nimmer timer
Daz salz von dem vngewer
&c.

Cantilena *ult.* de Bibonibus et Poculorum certamine, quae incipit:

Swas ich trinchenz han geseben &c.

per singulas Strophas, quarum 23. numerantur, hoc versu intercalari clauditur:

Do hvb er vf vnd trunc.

Metrum idem totum Codicem pervadit.

CCCLVIII.

661 Codex chartaceus ital. arab. lat. Sec. XVII. Folior. 110. 4. continet I. *Aphorismos* quindecim politicos lingua italica minus eleganter conscriptos, eosque fat protritros de iis, qui Principum favoribus abutuntur, deque Rebus publicis, quo loco *Veneta* his verbis perstringitur: *come hora Republicha Venetiana dà fede mà non obserua.* II. Catechismum seu *Doctrinam Christianam* Romano Catholicam arabice cum versione partim italica, partim latina, adjunctis *Psalms* VII. Poenitentialibus arabicis. Offeruntur ista porro Imperatori Caes. *Leopoldo* ab Homine, qui ad calcem Nuncupationis se dicit: *Matteo Nicolao Duca di Kulmia siue S.*

Sabba Ereditario, Conte della Illyria e Dal. ereditario, et Conte de Illyanovich ab Albo, causamque oblatis huius Scripti adfert, quod a quibusdam Imp. Interpretibus *Muhammedismi* suspectus redditus fuerit, cum Sacris christianis toto pectore adiectus sit, non secus ac Progenitores sui, quorum Seriem, *nella quale si troua il Re di Saba destinato dal Cielo di venire ad offerire Christo Jesu nato in Betlehem il Dono d'oro*, ab Imperatore recognitam et adprobatam fuisse ait. Ut vero amplior Hominis istius subpetat notitia, non pigebit huc transferre, quae ipse *Relationi Status Ottomanicae Domus a se Vienna Austriae Typis Joannis Christophori Cosmerovij 1679. foll. 17. addita Dalmatiae*

1385

D O G M A T I C I

1386

matiae Tabula geographica f. vulgatae ad eundem Imperatorem praefatur: Anno post reparatam salutem Millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, postquam Filius Principis Ragusensis in Patrem suum Rebellis factus ad Turcam transfugisset, et abnegata fide Catholica ab Imperatore exercitum impetrasset, eidem Patri bellum intulit, eumque capto Ducatu olim nuncupato di S. Saba, nunc vero a Turcis appellato Herzegovina funditus delevit. Mox invasit Regnum Dalmatiae, ut olim nuncupabatur Illyriam, cujus Antecessores mei ditionem tenebant: et Stephani Tritavi mei Comitatus duos nempe Gabellam et Mostar seu Illik, ubi Parentes mei ut plurimum residebant, Turcarum Dominio adjecit. Sequentibus deinde temporibus regnante Sultano Suleimano has sequentes Attavi mei Nicolai praecipuas Arces Civitatesque subju-

gavit, quemadmodum ex delineatione praesentis tabulae (nulla adcuracione geographica facta) uberius licet perspicere. Demum sub Regno Imperatoris Turcici Ibrahim seu Abraham ultimo Praesidio Parentis mei Matthiae — capto ipse ego Parentibus occisis in primo Iuventutis flore non nisi annum decimum tertium agens Anno Christi 1636. durissimo iugo fueram mancipatus. Porro extra Aulam octo; octodecim vero annis in Aulicis servitijs vitam produxi, in universum itaque 26. annis (quibus Arabicam didicerit) in hac barbarie detinebar. Tandem ex speciali Omnipotentis Dei gratia pristinae libertati restitutus ad Sacratiss. Caes. M. V. — Tutelam confugi &c. Quam infirmo multa in hac Narratione talo stent, facile observabit, qui eam ad probatiores Rerum Turcicarum Scriptores expenderit.

